UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Amor Deiparæ Virginis Mariæ; Petri Antonii Spinelli Neapol. Societ. Iesv

Spinelli, Pietro Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1620

Corona Deiparæ, num. 12.

urn:nbn:de:hbz:466:1-60948

Visual Library

VI.
CORONA DEIPARÆ.

Corona vſus ac præſtantia.

12 SExtò inter precandi formulas, quibus Deipara in Eccleſia colitur, meritò connumeratur CORONA ſexaginta trium ſalutationum Angelicarum, interiecta per ſingulas decades Oratione Dominica: eiuſmodi verò Coronæ ſerto globulis diſtincto, quemadmodum & Roſarium continetur, & omnium ferè Catholicorum manibus teritur, à quibus penſo propemodum quotidiano alterutrum ex ijs recitari ſolet: quin etiam complures Catholici in regionibus præſertim Tranſalpinis ad pietatem erga Deiparam contra hæreticos proteſtandam, Coronam, vel Roſarium propalam geſtare conſueuerunt.

Huius Coronæ recitandæ vſus, vna cum Deiparæ myſterijs in ea recolendis: inſigni quodam miraculo, quod cap. 35. retulimus inuectus, & ab Ordine Minorum diligenter eſt propagatus. Et ſanè ad huius Coronæ præſtantiam, atque vtilitatem declarandam, pleraque, quæ de Roſario diximus, referri poſſunt.

Illud

Illud ſilentio minimè prætereundum, numerum ſexaginta trium ſalutationum Angelicarum, quibus corona communiter conſtat in honorem annorum, quibus Deipara in terra vixit, vulgò referri: quoniam verò eam vltra ſeptuaginta annos inter mortales fuiſſe ſuperſtitem ex multorum ſententia cap. 6. diximus, ideo nonnulli adiecta alia decade, *ſeptuaginta trium* ſalutationum Angelicarum Coronam ſibi conficiunt. Cæterùm præter ea, quæ cap. 35. in S. Bernardino de hac Corona commemorauimus; complura miracula, & beneficia ob recitatam Coronam à Virgine collata referuntur in Chronic. Minorum part. 3. lib. 1. cap. 36. & 37. eorum aliquot hic libet afferre.

Corona ad annorum Deiparæ memoriam inſtituta.

Chron. Ord. Min.

MIRACVLA IN IIS, QVI CO-*ronam recitabant, Deiparæ fauore peragi.*

13 QVIDAM ex Ordine Minorum inſtitutum illud arctè tenebat, vt ſingulis Coronam diebus prius, quàm ſibi aliquid ſumeret, recitaret: cùm verò aliquando pranſurus, vna cum alijs in triclinio diſcumberet, intermiſſæ cõſuetudinis recordatus, impetrata à Superiori ve-

I. *Coronam recitans quidam Frater ex Ordine Minorum.*